



Dithmari Blefkenii

I s l a n d i a

Ad Lectorem

[I] Cum iam anni plus quam quadraginta sint, Lector, quod ex Islandia redii, mirari possis, quare nunc demum hosce commentariolos in lucem prodire sinam. Causam igitur tam diuturni silentii indicabo. Ex Islandia renavigavi Lissabonam, ubi regias naves aliquot ad Herculis Columnas, in Indiam navigare paratas, in anchoris esse audiveram. Cupiditate videndi Indiam accensus, duobus Germanis, qui et ipsi, quod ego, cupiebant, comitatus, terrestri itinere eo sumus profecti. Sed naves, veniremus, solverant. Hac spe frustrati traiecimus in Aphricam Goletam usque. Inde ceteri duo redierant in Hispaniam.

[II] Forte incidi in hominem Daventriae natum, qui et ipse latine loquebatur atque in Numidia in urbe Tingit in regno Maroco suam sedem praecipuamque uxorem habebat (tres enim, ut Mahometes concedit, habebat ille; Mahometanus enim factus erat). Hic me, ut secum proficiscerer, hortabatur, suis quidem sumptibus, ea tamen lege, ut me pro famulo et baiulo haberet. Imposita mihi sarcina, etsi durum mihi erat, cogitabam tamen poetae dictum, qui scribit:

*Turpe puto iuveni, qui semper inhaeret iisdem
terrarum spatiis, ut lapis, atque locis.
At varios hominum mores, qui vidit et urbes,
moribus ornatis in patriam ille venit.*

[III] Igitur per urbem Tunetum regnumque Tunetanum et regnum Maroco ad urbem Tingit sumus profecti. Huius urbis meminit Procopius in Vandalorum historia. Eam scilicet temporibus Iosuae a populis, qui metu Iosuae fugerant, aedificatam fuisse; id quod marmoreas columnas duas ibidem cum litteris Phoeniciis testari dicit. Atque scio Antimachiavellum id negare, sed ego memini unam dilapsam me columnam lapidesque mihi incognitis litteris notatos vidisse. Verum non legeram tunc Procopium; nihil igitur inquisivi. Magis tamen crediderim Procopio, qui ab iisdem populis Carthaginem quoque fuisse conditam affirmat. Sed fides apud illum esto.

[IV] In illa mea peregrinatione quinque fere consumpti sunt anni – semper meos de Islandia commentarios custodiens. Postea ad intermissa studia redii. Vocatus deinde in aulam Schovveburgicam cum comite Ottone Viennam Austriae ad Caesaris aulam sum profectus; neque licuit tunc, quae in Islandia congesseram, propter creberrimas profectiones in concinnum ordinem redigere. Deinde a Turckxsesio archiepiscopo Coloniensi Bonnam missus anno Christi LXXXII supra millesimum quingentesimum nactus occasionem propter editionem Islandiae Coloniam iturus incidi in latrones, qui me non solum pecunia et sarcina, sed et vestibus spoliarunt nudumque reliquerunt et viginti tribus vulneribus confectum uni me sepeliendi negotium dederunt, ex cuius manibus mirabiliter evasi adhuc vivus. Itaque quicquid de Islandia conscripseram periit nullaque mihi recuperandi umquam relicta erat spes. Cum vero anno LXXXVIII Bonnam, eo tempore, quando Schenckius civitatem illam occupasset, rediissem, inventum fuit hoc meum de Islandia scriptum ab equite mihi noto in aedibus, ex quibus habitatores profugerant. Cumque et nomen meum praescriptum meamque novisset manum, mihi reddidit. Itaque hactenus apud me delituit.

[V] Iam vero de consilio bonorum virorum typographo divulgandi gratia excudendum dedi. Etsi vero meae mihi tenuitatis sim conscius, qui tam eleganti sermone, quam multi delicatuli cupiunt, non sum usus, spero tamen et bonos et doctos facile mihi hac in re veniam duros, quippe qui non tam elegantiae quam veritati in hoc scripto studuerim. Nam nihil – aut certe parum – ex auditu, sed, quae vidi et expertus sum, scribo. Verum permulti hodie reperiuntur, qui nihil nisi, quod ipsi et viderunt et experti sunt (denique quotidianum est), pro vero iudicant, immo illis non visa incredibilia putant. Sed cum res externas et veras, quae etiam ratione nituntur, narramus, admirari Dei conditoris et opificis sapientiam, potentiam et bonitatem incipimus, unde laus et gratiarum actio proficiscitur, quae tollitur desinitque, si admiratio cessat omniaque incognita tibi pro falsis habeas. Magna praeterea scribentibus fit iniuria, qui magnis laboribus res minime falsas non propter suum, sed posteritatis commodum memoriae prodiderunt, cum a malevolis, Zoilis et amisis egregie mendacii – turpiter tamen –



insimulantur, ut fit Herodoto, Thucydidi, Xenophonti aliisque, qui tamen diligenter consideraverant, quod non eadem vivendi ratio sit in omnibus regionibus atque quod natura non omnibus in locis et fructus et animalia producat. Quemadmodum ii, qui hodie ad nos ex India renavigant, multa quidem omni admiratione digna, immo nobis fere incredibilia, tamen vera, adferunt, sic quoque ex aliis locis nobis incognita nec antea visa et audita perferri facile sunt credituri atque, ut sint sinceri communique sensu praediti, non ignavia iudicabunt. Quamobrem, Lector humanissime, hoc meum scriptum animo aequo et cum iudicio lege. Zoilos moneo, ut ipsi eosdem labores, aerumnas, immo miserias, quae peregrinantibus accidere solent, experiantur, priusquam aliis detractare incipiant.

Quando Islandia primum cognita

1 Anno sexagesimo tertio supra millesimum quingentesimum binae Hamburgo naves onerariae in Islandiam navigare decreverant. Vectores, antiqua consuetudine verbi divini ministrum sibi adiungere volentes, ecclesiae Hamburgensis ministris munus hoc committunt orantque, ut illis de ministro dispicere velint. Erat tunc ecclesiae Hamburgensis superintendens doctor Paulus ab Eitzen. Cum vero ego Hamburgi supellectilem librariam Rostochio expectans substitissem, familiaritatem cum Paulo et ceteris ecclesiarum ministris contraxi. Ad me igitur delata est provincia, quam eo libentius, quod sitiens eram res novas et varias regiones cognoscendi et illorum hortationibus parens, suscepi. Conscensa igitur navi X Aprilis subnavigavimus Angliam et Scotiam praeterlegentes Orcades insulas numero XV, quarum pleraeque incultae propter sterilitatem iacent. Ferowe et Hitlandia solae inhabitantur. Hic altissimam rupem vidimus, quae in summitate cucullati monachi caput repraesentat. Ubi etiam contra omnes ventos tutus est receptus, multosque hic monachus ex praesenti liberat periculo. Iunii vero XIV Islandiam conspeximus, quae a longe apparet, ut si nubes hiberno tempore essent. Postero die portum Haffnefordt, qui meridiem spectat, terramque attigimus.

2 Islandia terra aspera, montosa et nivosa est, quae duplo maior Sicilia esse putatur, centum miliaria in longitudine habere creditur, quod et Olaus Magnus libro II testatur. A frigoribus, quae ibidem acutissima sunt, et perpetua glacie nomen habet; continuis enim octo mensibus glacie infestatur. Calore tamen et igne intraneo multis in locis ardet. Hunc calorem in terrae visceribus auget antiperistasis frigoris maioris anni parte (paucis mensibus aestivis exceptis) durantis, quod poros in terrae superficie constringit et liberam expirationem prohibet. Habetque haec insula latitudinem ab aequatore tantam, ut circulus arcticus mediam secet, hoc est gradus LXV cum semisse. Huius insulae extremitati aquilonari obiectae sunt insulae, quae Ebudae vocantur. An vero ex istis sit ea, quae Ptolemaeo veteribusque Thule, an potius Islandia ingens illa insula, adfirmare neque prorsus negare ausim, eo quod non deprehendatur insula, quo Ptolemaeus Thulen statuit. Nunc recentiores statuunt longe aliam longitudinem circa Scotiam vicinasque insulas quam Ptolemaeus credidit.

[2,2] Huius gentis originem paulo altius repetam secutus fidem annalium Islandicorum. Anno Christi DCCCC, tempore Alebrandi episcopi Bremensis, nobiles aliquot ex orientali Frisia et ex agro Bremensi versus septentrionem novas inquirere regiones volentes ex Visurgo classe solventes, praeternavigantes Orcades insulam hanc habitabilem quidem, sed nivosam invenerunt in ultimis fere Europae finibus. Cui propter frigus et rigorem Islandiae nomen dederunt. Cumque ulterius ad septentrionem navigassent circiter CC miliaribus, aliam insulam invenerunt, quam per antiphrasin Gronlandiam nominarunt. Longius versus septentrionem navigare conantes per mare glaciale sive concretum – diu glacie prohibiti – tandem magnis laboribus ex glacie eluctati in vortigines maris (quarum etiam meminit Olaus Magnus libro II) et tenebras densissimas inciderunt, unde maris aestum singulis diebus provenire multi rei nauticae periti adfirmant. In his tenebris et vortiginibus ista classis – una navi excepta – periit. Qui fuerant servati, post diuturnos labores et pericula per mare Tartaricum navigantes in calidissimam venerunt regionem. Sinum maris amplissimum ingressi in vicinam terram descenderunt. Cumque incolae prae nimio calore et solis ardore in locis absconditis essent, illi aurum et alias pretiosas res, quas nemo observabat, hinc et inde positas vident. Cumque, quantum libuisset, asportarent atque ad navem properarent, cum canibus inusitatae magnitudinis illos insequi vident. Unus, qui impeditus et praeda onustus erat, effugere non potuit a canibus frustulatim discerptus. Ceteri post longam navigationem has vortigines vitantes in Moscoviam appulerunt. Inde per mare Balthicum Bremam reversi Alebrando episcopo cum parte praedae haec retulerunt.

3 Ad hoc fere tempus Normanni – exemplo Helvetiorum Iulii Caesaris tempore – Norwegia prodiisse censentur. Qui et tunc Franciae partem diu obtinuerunt, quae etiam nunc Normandia



dicitur. Cumque res magnas terra marique contra Britannos gessissent, non solum hostilibus incursionibus mare infestarunt, sed quoque Sarracenos, qui tunc in Italiam venerant et in Calabria et Apulia suam sedem ponere cupiebant, expulerunt. Postea versus Boream in Hitlandiam, Ferowe et Islandiam colonias deduxerunt, quam viam a Bremensibus labore nobilium ex Frisia, ut dictum est, didicerant. Testatur et ipsorum idioma illos scilicet ex Norwegia venisse. Nam idioma Islandicum cum veteribus Norwegiae incolis convenit; nam in Norwegiae locis maritimis, praesertim ubi nobilis portus et civitas Bergen est, propter Germanorum et Danorum frequentiam et consuetudinem lingua mutata est.

De Islandicorum religione

4 Anno Christi MCCCXCVIII administrabat regnum Danicum Woldemarus, eius nominis secundus, cui adiunctum erat Norwegicum. Cuius posteritas id tenuit usque ad Ericum Pomeraniae ducem ac Christophorum Bavarum. Huic Woldemaro paruerunt et Normannorum coloniae arctoe omnes (ut et nunc). Sub illo Woldemaro Islandici primum in Christiana religione instituti sunt, cum hucusque alienos deos coluissent. Cumque in illis tristissimis tenebris et titulo ecclesiae ceu fascino misere dementati in profundissimis superstitionis involucris detenti omnes fere Christiani populi essent, fieri non potuit, quin illi, qui longissime a consuetudine doctorum hominum remoti et alioquin sub inclementi ac barbaro caelo habitantes, in turpissimam idololatriam relaberentur, cum alias (ut postea dicitur) daemones sibi servientes et familiares tamquam domesticos habeant.

[4,2] Postquam vero Lutherus innotuit, Christianus, Danorum rex, sibi puriorem doctrinam comparavit atque in regno Danico, Norwegico et omnibus sibi subiectis insulis ecclesias repurgavit, missis in Islandiam ministris, qui evangelii sementem ibi facerent. Typographum quoque ex Dania misit, qui pastoribus latina nescientibus (ut tunc fere omnes erant) Biblia, Locos Communes Philippi Melanthonis, Urbani Regii opera aliaque lingua populari evulgaret. Adolescentes quoque idoneos ex Islandia evocavit, quos in Academia Haffniensi suis sumptibus aluit et ecclesiis et scholis praeesse voluit. Constituerat rex Woldemarus, cum primum Christi doctrinam profiterentur, in Islandia episcopos binos, unum in Scaltholden in orientali plaga, alterum in Hollen ad occidentalem solem. Quorum successores hodie nihil praeter umbram et nudum titulum habent, nam alios reditus quam butyrum et pisces non habent. Cum vero illa, de qua dixi, a rege Christiano ecclesiarum in Islandia facta esset reformatio, alter episcoporum in Scaltholden cum populo facta conspiratione evangelii doctrinam excutit, et rebellionem facta regium praefectum interficiunt. Sequenti anno, qui fuit MDXXXV, rex hominem nobilem equestris ordinis Paulum Hitfelt, quem senem ego in Dania vidi, classe, militibus et armis instructum in insulam misit. Seditiosis ad internecionem interfectis evangelii doctrinae emendationem renovat atque in Daniam redit relicto nobili quodam, qui et ecclesiae et insulae praeesset. Erat tunc in Islandia vir facile primus Tadde Bonde. Hic, postquam regis exercitus discesserat, conspiratione facta cum praecipuis, quos sua auctoritate in suam sententiam pertraxerat, ad defectionem reversus ceterosque insulanos, ut sequerentur, incitabat. Hi in loco, qui Waloe dicitur, conveniunt, factaque coniuratione de rebellionem et abiciendo regis iugo consilia inter sese communicant. Et habebat Tadde suas possessiones non uno in loco et multos clientes. His de causis non posse illos facile opprimi putabat. Episcopus, qui ad orientem habitabat, omnia ad regium praefectum, quid ageretur, referri curabat (nam praefectus ad occasum eius insulae aberat) oderatque episcopus Tadden a multo iam tempore. Nam in illa prima rebellionem quasi conscium et auctorem rebellionis ad praefectum illum falso detulerat. Haec sola calumnia summam et extremam illi calamitatem attulit. Praefectus certior factus, quid ageretur, per idoneos homines aliquot conscios factionis, ut in officio manerent, propositis praemiis et poenis hortatur. Tunc plerique, ubi periculi magnitudinem cernerent, illo relicto supplices ad praefectum veniunt veniamque precantur et impetrant. Igitur Tadde iudicatur hostis et regis et patriae, itaque iure iurando et fide data promittunt illum persecuturos. Tunc ille metu periculi cum paucis, quos ex domesticis coegerat, ad Hekelveldii radices sese continebat, sed circumventi omnes sunt trucidati, capto illo. Qui illum ceperant, ad episcopum, ut illum custodiae mandaret, adducunt, verum is eum recipere recusabat. Itaque ad alium quendam ex iis, qui iudicio praesunt, illum pertrahunt; neque is, veritus populi odium, excipere voluit. Ibi tunc Islandicus quidam, Ionas nomine, vir animosus, „scio“, inquit, „cui illum, qui diligenter sit servaturus, credam“, statimque



hominem obtruncavit et terrae mandavit. Et sic seditio sedata fuit. Atque in hunc diem ab illo tempore inter barbaros verbum Dei iuxta Augustanae confessionis ritum docetur.

De Islandicorum vita ac moribus

5 In tota insula eorum hominum, qui in aliquo sunt numero atque honore, genera sunt tria. Plebs enim ob penuriam navium, quibus piscantur, sese in servitutem dicant divitioribus. De his tribus generibus primum est eorum, quos *lochmaders* vocant, id est iustitiae viros, nam *loch* illorum lingua ius sonat. Hi iustitiam administrant suntque illorum plures, duodecim tamen singulis annis praesunt iustitiae. Horum decretis iudicioque omnes parent. Alterum genus est eorum, qui *bonden* dicuntur. Ii loco nobilium habentur atque eorum ut quisque est navium et pecoris amplissimus, ita plurimos piscatores et clientes habet. Hanc unam potentiam noverunt. Tertium genus est episcoporum et verbi divini ministrorum, quorum multi passim per totam insulam reperiuntur. Hi neque tributa cum reliquis pendunt omniumque rerum immunitatem habent.

6 Sunt plerique viri Islandici valde superbi et elati, praesertim propter corporis robur, quod habent. Vidi Islandicum, qui tonnam Hamburgensem cervisiae plenam tam facile ori suo admoveret bibens ex illa, ac si unicam habuisset mensuram.

7 Uterque sexus in Islandia eundem habitum habet, ita ut ex vestibus, an vir an femina sit, haud facile dignoscas. Lino carent, nisi a nostris sit importatum. Estque ibi apud femineum sexum mira formarum felicitas, sed cultus deest.

8 Natio omnis Islandicorum admodum dedita est superstitionibus spiritusque familiariter ipsis servientes habent. Ii enim in piscatione tantum sunt felices, qui noctu a daemone ad piscationem excitantur. Quamvis vero Euangelii ministri in dehortando ab ista impietate omnem diligentiam adhibent, tam alte tamen haec impietas in mentibus illorum haeret et radices egit, itaque sunt a Sathana fascinati, ut nullam sanam doctrinam et dehortationem admittant. Immo Diaboli opera oblato pretio ventum secundum pollicentur et praestant, quod mihi (ut postea dicitur) compertum est. Simile Olaus Magnus de Finlandiis scribit libro III. Naves quoque cantando, etiam secundo vento, immobiles retinent fere. Et profecto mirum est, quod Sathan cum illis ita ludat. Remedium enim illis in retentione navium monstravit: excrementa scilicet puellae virginis. Si proram et certos asseres navis hoc unguento illinant, hoc foetore spiritum fugari et abigi docuit.

9 In reliquis vitae moribus sic se habent: Parentes liberos masculos statim a pueritia litteras eiusque insulae ius docent, ita ut sane perpauci per totam reperiantur insulam virilis sexus, quin litteras sciant et pleraeque feminae. Nostris utuntur litteris. Alios quoque characteres, quibus integra illorum quaedam verba expriment, habent; quae verba nostris litteris difficulter scribi possunt.

[9,2] Duritiei et piscationi a pueris student, nam vita omnis in piscatione consistit. Agriculturam non exercent, quippe quod agros nullos habeant, maiorque pars victus eorum in piscibus, butyro insulso, lacte et caseo consistit. Pisces lapide contusos loco panis habent. Potus illorum est aqua aut serum. Ita multos in annos absque medicina aut medico vivunt. Multi annos CL attingunt ac vidi senem, qui CC se tunc vixisse annos dicebat. Immo Olaus Magnus libro XX Islandicos CCC annos vivere scribit. Maxima Islandicorum pars panem non vidit, nedum gustavit. Si quando a nostris molita cibaria, sive far, illis venditur, lacte hoc commiscent atque in longum tempus ad delicias nobilium reponunt. *Drabbel* hoc condimentum vocant. Habent Germani, qui in Islandia negotiantur, locum in portu Haffnefordt natura munitum, ubi sub tentoriis suas merces venum exponunt; calceos scilicet, vestes, specula, cultellos et id genus mercium nullius fere pretii. Islandici habent oleum ex piscium visceribus liquefactum nostris alutariis ac sutoribus notum; habent pisces, sulphur, exuvias vulpium candidas, butyrum aliaque. Haec omnia nostris mercibus commutant, neque prius rata est mutatio, nisi prius nostro cibo et vino aut cervisia probe sint distenti una cum uxoribus, liberis, quos, quotquot habent, adducunt.

[9,3] Advenientes in portum filias nubiles secum habent. Hae, postquam a nostris exploraverint, an domi uxores habeant, si non habent, pro pane aut biscocto aliave levissima re noctem promittunt. Interdum parentes mensem unum, aut quamdiu manserint, concedunt filias vel gratis. Ex eo concubitu si facta fuerit gravida, parentes maiori quam antea filiam complectuntur amore natamque prolem annos aliquot educunt, donec aut pater revertatur aut futuro genero in dotem addunt cum filia, qui minime, quod e Germano sanguine natum est, contemnit. Si quae virgo cum viro Germano



habuerit consuetudinem, in honore apud illos est proptereaque a multis petitur procis. Ac fuit ante hoc tempus, cum stupra, quae quidem extra sanguinem et propinquitatem fiebant, nullam haberent infamiam. Et quamvis modo concionatores reclament et severe in delinquentes animadvertatur, aegre tamen vix abstant. Quam longe vero haec natio ab illorum moribus abest, qui summam dotem in virginitate sitam esse ducunt? Ut Petrus Bembus in sua Veneta historia libro VI testatur, ubi ita scribit: Portugaliae Regis nautae mare Rubrum ingressi complures nigrorum item bonorum hominum ac bello fortium civitates adierunt, qui natis statim feminis naturam consuunt, quoad urinae exitus non impediatur, easque, cum adoleverint, sic consutas atque coalitas in matrimonium collocant, ut sponsi prima cura sit sic conglutinatas puellae oras ferro interscindere. Tanto in honore apud barbaros est non ambigua in ducendis uxoribus virginitas. Haec ille.

[9,4] Vinum et cervisiam a nostris emptam non reponunt, sed domatim epotant per vices alii apud alios, idque gratis. Inter potandum heroica facta suorum decantant, non ex certa aliqua compositione aut melodia, sed prout cuique in buccam venit. Neque cuiquam licet vesicae exonerandae gratia a mensa surgere, verum in hanc rem filia familias aliave puella aut mulier semper ad mensam stat intenta, si quis innuerit. Innuenti matulam sub mensa suis manibus ministrat. Ceteri interim more suum grunniunt, ne quis strepitus audiatur. Effusa urina pelvim perluit rursusque suum officium volenti offert. Atque incivilis habetur, qui hunc morem detestatur.

[9,5] Advenientes osculo excipiunt seque invicem conspiciunt et contemplantur, si forte pediculos, qui illos propter lini inopiam maxime infestant, repentes in vestibus videant; si viderint, alter alteri tollit, et quoties unum sustulerit, toties aperto capite alteri gratias agit, atque hoc invicem agunt, quoad unum viderint. Noctu pater familias cum tota familia, uxore et liberis in uno cenaculo cubant, laneo panno tecti, qui ab illis conficitur. Atque eiusmodi pannos sine stramine aut faeno supposito substernunt. Omnes urinam in unam matulam nocte effundunt, qua mane faciem, os, dentes et manus lavant. Eius rei multas afferunt causas, hoc scilicet formam elegantem facere, alere hoc vires nervosque in manibus confirmare et dentes a putredine servare dicunt.

[9,6] Si pecora in fluctibus aut sub nive, quod saepissime usuvenire solet, perierint, a Deo mactata esse dicunt et in deliciis habentur. Et factum est anno LXVIII in loco, qui dicitur Ackermisse, ut mense Ianuario vaccae aliquot in tenebris aberrarent; tantaque erat caligo atque nivis profunditas, ut reperiri non possent. Mense Aprili primum inventae sunt intactae sineque fetore atque in vicinos distributae. Pars aliqua ad Praefectum, cum quo tunc ego vivebam, delata, quam aspernare fas non erat. Ille tamen pauperibus dari iussit.

[9,7] Tempore hiberno ante et post solstitium, cum sol descendit atque in Sagittario, Capricorno et Aquario est, ab illis recedit neque supra horizontem ascendit, donec Pisces attigerit. Igitur nullam lucem habent nisi a luna et stellis. Vicissim circa solstitium aestivum, cum sol ad Geminos, Cancrum ac Leonem ascendit, numquam infra horizontem descendit. Igitur eo tempore noctem non habent. Hiberno vero tempore ad multos dies lecto se continent atque ludos scaccorum, quorum inventum Xerxi philosopho debetur, exercent. Interim famuli cibum illis praeparatum ad lectum deferunt. Ex oleo piscium lampades continue alunt, alii ex favo candelas urunt.

[9,8] Mense Februario cum primum sol supra horizontem ascendit, paulatim dies longiores fiunt. Tunc piscari incipiunt, tanta quidem copia, ut vix sit credibile. Pisces enim, qui menses continuos tres in tenebris natarunt, simulatque stanneum piscem ferro coniunctum vident, catervatim accurrunt, ut non solum per fauces, sed ubicumque attigerit ferrum, trahantur. Captos exossant, viscera recondunt et adipem sive oleum ex iis conficiunt. Pisces sub dio cumulant tantaque ibi est aeris puritas, ut sine sale, solum vento soleque durentur felicius quidem, quam si sale condirentur. Et si pecora mactaverint, carnes sine sale, solo vento duratas absque foetore et putredine servant.

De mirabilibus stagnis et fontibus in Islandia

10 Diversis locis per totam fere insulam sunt thermae et calidissimi fontes, qui etiam magna copia effluunt. Haec aqua, ubi frigescere incipit, sulphureum quiddam in superficie habet. In istis calidissimis aquis, quibus digitum sine periculo inserere non potui, mergi rubei a longe quidem conspiciuntur. Si propius accedas, evanescunt, si rursus abieris, emergunt. Ita per totos dies, si cui lubido est, cum hominibus ludunt. An revera mergi sint, aliis iudicandum relinquo.



[10,2] Ad occasum eius insulae ingens est lacus fumosus et frigidus valde, qui omnia, quae quidem immerguntur in lapides convertit, idque paucis diebus; et quod summa admiratione dignum est: si lignum recta in fundum posueris, ima pars, quae in terram figitur, ferri speciem et duritiem post biduum habet; quae in aqua fuit, lapidis duritiem et speciem habet; suprema pars, quae supra aquam mansit, pristinam formam retinet. Atque huius rei veritatem bis sum expertus, sed cum imam partem, quae ferrum repraesentabat, igni, ut liquesceret, admovissem, ut carbo arsit.

[10,3] Sunt in loco maritimo, qui Turlockshaven dicitur, fontes duo diversissimae qualitatis: alter frigidus, alter calidus. Hi fontes per canales in unum locum ducuntur atque ad balneum temperati saluberrimum balneum efficiunt. Haud longe ab his fontibus alius quidam fons est, qui cerealem liquorem ebullit, qui Gallicum morbum, qui illis familiaris est, feliciter medetur. Non procul a portu Hanefordt scissura in rupe est instar fontis immensae profunditatis. Si inspexeris aquam videre non potes, verum si lapidem inieceris, post dimidiam horam audies illum decidentem, quasi in vasa aenea decideret, statimque aqua exurgit et repletur usque ad summa labra putei, estque aqua limpidissima, quam tamen nemo neque attingere neque gustare audet; neque effluit, sed post tantum temporis, quantum lapis est immissus, subsidit. Alius in media insula lacus est, qui pestiferum fumum exhalat, ut etiam aves supervolantes suo veneno interficiat.

De montibus mirabilibus in Islandia

11 Sunt in Islandia tres montes valde mirabiles: unus mons Crucis, alter Snevelsiockel dicitur. Hi duo nubes altitudine penetrant, quorum capita sive summitates nemo umquam vidit, neque umquam glacie et nive vacui visi sunt. In his quotidie fulgura et tonitrua horrenda audiuntur, cum tamen in propinquis convallibus aer aestivo tempore sit sudus et serenus. Tertius mons ad septentrionem insulae est, neque adeo excelsus, annos vero complures arsit; quo igne, quae materia ignoratur. Cum vero per totam insulam sulphur effodiatur, videtur sulphuream materiam aliquando incensam esse. Mons hic haud procul a mari est mareque ex parte illum alluit. Hecla dicitur. Interdum flammam, aliquando ignitam aquam, post nigrum cinerem et pumices tanta quidem copia eicit, ut solem obscuret. Nemo quoque in propinquo ad miliaria VI habitare potest neque pascua ulla circum sunt. Aliquando homines audaces et vitam nihili facientes lapides per cavernas iniciunt, nam interdum mira est in monte tranquillitas, praesertim ubi Zephyrus spirat. Immissos lapides statim horribili fragore ac sonitu reicit. Damnatorum animas hic torqueri vulgus credit.

[11,2] Varia et horrenda in hoc monte et circum spectra observari certum est. Nam si alicubi sit proelium commissum, Islandici, praesertim ii, qui in mari vicino Heclae navigant et piscantur, proelii commissi diem sciunt, etiamsi ignorent, ubi sit factum. Vident enim (ut ipsi referunt) cacodaemones exeuntes et revertentes umbrasque adducentes. Et circumfertur historia talis in Islandia: Piscator iuxta Heclam navigans aliam navem obviam habuit. Uterque secundo utebatur vento; cumque more nautarum, ecquis esset et unde, quaesitus, Bremensem episcopum se in navi habere respondit, quem ad Heclam deducere vellet; et compertum est eo ipso die episcopum e vita discessisse. Quod tamen ego pro vero ponere nolim. Si qui fluctibus aut alioqui perierint aut mortui fuerint, interdum suis relictis amicis et notis tristes apparent. Quaesiti, quo et unde, ad Heclam sub inclementi paedagogo daemone deduci se respondent evanescentque. Sicque a Sathana fascinati sunt, ut animas demortuorum esse credant.

12 Sed quia Infernum in hoc monte esse nemo sanae mentis facile credet, quaeri tamen posset, unde mons istam materiam habeat, qua tot annorum flammam, tot cineres tantamque pumicum copiam producat. Videmus enim igne solidissima quaeque omniaque consumi. Eamque ob causam aliqui credunt fore, ut istae aliquando flammae extinguantur, nam deficiente causa effectus ullos sequi posse negant. Sed hic, quid ego sentiam, libere dicam, salvo tamen aliorum iudicio: Constat ex meteoris aquis, quod ex vaporibus in terrae cavitatibus collectis continua sit, aquae generatio, quae per fontes emanat. Perpetuo autem durantibus causis efficientibus et materialibus perpetuo etiam effectus durat. Sic quoque in visceribus terrae esse loca quaedam, quae sua natura siccam et calidam exhalationem attrahant, hancque in flammam, cineres et pumices resolvere. Quod in isto monte propter sulphuream materiam, quae in Islandia per totam terram invenitur, facile fieri potest. Et quemadmodum fontes tempore hiberno plus aquae quam aestivo scaturiunt, immo aliqui aestate



exsiccantur propter deficientem materiam, sic cum hoc monte. Nam interdum deficiente materia neque flammam neque fumum habet omniaque tranquilla sunt, unde apparet materiam et efficientem causam deficere. Ut vero sit, mihi compertum est neminem sine periculo et horrore ad montis radices accedere posse, ut postea explicabitur.

13 Eodem anno, quo in Islandia essem, die XXIX Novembris circa medium noctis in mari iuxta Heclam flamma apparuit, quae totam insulam illustrabat, ut omnes attoniti miraremur atque exitum anxie expectaremus. Seniores et huius rei periti ex Hecla hoc lumen venire dicebant. Post horam tota insula contremuit, quasi suis sedibus moveretur. Terrae motum secutus est horribilis fragor, ut, si omnia bellica tormenta exploderentur, nihil ad hunc terrorem esset. Non potest cogitatione nedum verbis assequi, quam horribile fuerit. Totam mundi fabricam corruiuram postremumque adesse diem credimus. At compertum est postmodo mare ad duo miliaria retro cecidisse in illo loco atque exsiccatum esse.

[13,2] Sub initium Iulii, tempore anniversario, glacies magna copia noctu ex improvise insulam circum Heclam alluit ac vagatur rumor per totam insulam, immo creditur damnatas animas in hac glacie torqueri alternis vicibus in flamma, in monte ac deinde in glacie. Haec glacies menses tres continuos solum circa Heclam natat. Huius glaciei si partem aliquam mari exemeris linteoque involveris atque in cista reposueris, tam diu illaesa manet, quoad illa in mari natat. Si vero in mari glacies evanuerit, quod repente in una nocte fieri solet, haec nusquam apparet neque ullum humiditatis signum in linteo relinquit. Quod Sathanae haud difficile est glaciem sine humiditate tollere, ut illorum incredulitatem augeat. Meminit huius glaciei Olaus Magnus libro II. Sed quia ego omnia diligenter perquirere statueram, non sine horrore ad hanc glaciem navigavi et animadverti vi ventorum hanc glaciem ad scopulos torqueri et ita lugubrius quiddam sonare a longe, quasi exaudirentur ibi miserandi eiulatus. Hinc Islandici damnatorum animas in ista glacie torqueri putant.

De Islandicorum divitiis

14 Islandiam terram asperam et niviosam dixi, estque praeterea scopulis atque lapidibus referta, ac ita quidem, ut nullus in tota insula sit ager. Ne hortulos quidem, in quibus aut olera aut legumina habere possent, habent. Frumenti genus nullum agnoscunt, non poma, pira, non cerasa neque ullum fructum arborum norunt. Et, quod fere incredibile est, nec pane nec sale utuntur, nihilominus bene habitati sunt et robusti. Nulla in tota insula est urbs, raro duas aut tres habitationes contiguas habent. In locis maritimis ob piscationem et subterraneis propter validissimos ventos suos nidulos habent. Nullus apud illos pecuniae amor, merces enim mercibus commutantur. Nascitur ad meridiem et fere per totam insulam sulphur, quo magna copia eruitur. Hanc materiam purgatam exiguo pretio vendunt. Auri argenteve fodinas neque ullas metallicas habent. Ferro quidem utuntur, sed importato. Raro invenies virum, qui in pera non habet clavos ferreos, quibus ferrea equorum soleae alligantur. Aedificia omnia sunt subterranea, nam materiam ad aedificandum non habent.

[14,2] Nulla arbor in tota est insula, excepta betula, atque haec in uno loco, quae etiam longitudine hominis staturam non excedit, idque propter ventorum vehementiam, quod altius crescere non possit. Betula haec post solstitium aestivum primum vernat, folia suavissimi sunt odoris tantaeque fragrantiae, ut a Germanis in tentoriis et epulis pro singulari delectamento ponantur. Interdum tamen magna copia abietum ex Tartaria aut aliunde vi undarum et glaciei abrepta in Islandiam appulit. Harum praecipuus in aedificandis cubilibus subterraneis usus est. Extra terram vix habitationem propter validissimos ventos, qui interdum et equos et sessores prosternunt, invenies.

[14,3] Butyri magnam copiam habent propter graminis pinguedinem. Tam pingue enim est Islandicum gramen, ut boves post certum tempus a pascuis sint arcendi, ne rumpantur. Tam grati itidem odoris, ut singulari studio a nostris hominibus in cistulas ad vestes reponatur. Butyrum plerique propter vasorum inopiam in angulos aedium uti nos calcem aut aliam materiam seponunt idque sine sale.

[14,4] Domestica animalia habent vaccas, sed multae sunt mutilae cornibus. Equi gradarii fere omnes oneribusque ferendis aptissimi. Habent oves praegrandes. Non suem, non gallinam, propter frumenti inopiam, alunt. Si quando illos pabulum aut faenum hieme defecit, pecora piscibus alunt. Canes hirsutos sine caudis et auribus natos animi causa habent, quos care vendunt magnique faciunt, cum tamen liberos suos cuivis petenti vel gratis offerant. Habet praeterea haec insula vulpes albas et



eiusdem coloris ingentes ursos. Aves habent nullas praeter aquaticas quarum diversae species et genera ibi reperiuntur nobis incognita. Corvi interdum ad albedinem mutati, falcones quoque egregii et inter hos albi, qui magnis sumptibus ab Hispanis et Lusitanis capti et conquisiti etiam magno numero abducuntur; quod, cum ego in Islandia essem, magno meo commodo factum est. Habet quoque Islandia albas perdices.

[14,5] Fluvii amoenissimi passim per totam insulam, qui incolis pisces magna copia ministrant: salmones, trutas et sturos. Unicus in tota insula est pons ex ossibus balaenae constructus. Proficiscentes ex una insulae parte in aliam per continentem nullam viam propter solitudinem habent, quam sequi possunt. Sed quemadmodum nautae in mari, ita hi opera magnetis sua itinera persequuntur.

[14,6] Immensa est maris iuxta Islandiam profunditas. In istis voraginibus sunt mirae magnitudinis balaenae multaque marina monstra, quae capi aut occidi ab hominibus non possunt. Sola glacies vi ventorum illa ad scopulos collidit enecatque. Vidi tale monstrum eiectum in litus mortuum, cuius longitudo XXX ulnarum, altitudo hastam militarem praelongam superabat. Mortua aut occisa balaena, incolae ex ossibus eius magna dexteritate aedificia et habitacula construunt, item sedilia, scamna, mensas et cetera utensilia fabricant ita levigantes, ut ebori simile sit. In his aedibus dormientes semper de naufragio somnare dicuntur. Etsi vero ingens et formidabilis sit bestia magnumque habeat robur, tamen a suo capitali hoste non adeo magno, qui orca nominatur, saepe non oppugnatur solum, sed vincitur. Habet hic piscis navis inversae formam atque in dorso pinnas acutissimas et longas, quibus mollia ventris balaenae vulnerat et occidit. Adeoque timet hunc piscem balaena, ut illum fugiendo saepe ipsam litori illidat.

[14,7] Habet quoque mare Islandicum monstrum, cuius nomen incognitum est. Balaenae speciem iudicant primo intuitu. Cum caput ex mari ostendit, homines ita perterret, ut fere exanimati decidant. Caput quadratum habet, oculos flammeos, circumcirca longis cornibus munitum, corpus nigrum et atris pennis obsitum est. Si quando noctu conspicitur, oculi igniti sunt, ut totum caput, quod ex mari exerit, illustret. Horribilius nihil aut pingi aut comminisci potest. Olaus Magnus huius monstri meminit libro XX dicitque XII cubitos esse longum. Eiusque modi monstrum scapham piscatoriam mordicus tunc temporis contriverat suis dentibus, in qua tres fuerant piscatores, ita ut illi submergerentur. Unus, qui funiculum, quo hamum et pisces ducere solebat, manu prehensum retinuit tabulaeque, quae in mari natabat, adhaerebat – ita ille ex imo in asserem eluctatus servatur atque enavit, neque praesente regio praefecto haec narravit addens se divinitus servatum, ut liberis alioquin fame perituris victum quaereret, cum ceteri duo, mariti quidem, sed sine liberis fuissent.

[14,8] Aliud quoque ibi monstrum frequens videtur et capitur, longum X aut XII ulnas. *Hackal* vocatur. Totum est adeps. Mirabili modo capitur: Hastam praelongam habent, cui ferrum bicipiti cuspede, quod retrogredi nequit, affigunt. Ligno annexus est funis mirae longitudinis. Hanc hastam monstro, quod ad praedam animadverso in parvulis navigiis homine adnatat, figunt. Simulatque monstrum se saucium ac vulnus habere sentit, statim se in profundum abdit atque ibi effuso sanguine moritur. Piscatores deinde longis hastae alligatis funiculis ad terram ducunt.

[14,9] Habet praeterea varia monstra marina: Canem, qui exerto capite e mari latrat atque suos catulos in mari lusitantes rursus in alvum recipit, donec redoleverint. Habet et equos, vaccas et quid non! Ac mirum, quomodo ludat artifex natura in exprimenda omnium animalium terrestrium et volatilium forma in mari. Neque mihi quisquam persuasurus erat vera haec esse, etiamsi decem Aristoteles mihi affirmassent, nisi meis oculis pleraque conspexissem.

[14,10] Ne quis igitur protinus clamet fabulosum esse sibi non compertum: Solebant Lubeccenses, Hamburgenses et Bremenses frequentius magno suo commodo hanc insulam adire, suos servos in hibernis relinquere. Iam vero cautum est autoritate regia, ne quis Germanorum vel negotiandi vel linguae discendae gratia suos ibi famulos per brumam relinquat. Qua vero occasione hoc factum sit, sic se habet: Erat anno Christi MDLXI in Islandia in hibernis civis Hamburgensis Conradus Bloem apud episcopum in Scalholden ab alio negotiandi causa et linguae discendae relictus. Piscatores episcopi cornu monocerotis integrum in glacie – ex Gronlandia (ut existimatur), ubi etiamnum hodie monocerotes esse dicuntur, advectum – inveniunt et domino suo deferunt, dentem balaenae esse rati; neque aliter credidit episcopus, qui Conrado petenti dono dedit. Is paulo nasutior postea Antvverpiae aliquot florenorum milibus vendidit. Haec res cum ad regem Daniae pervenisset, cavet, ne quis Germanus posthac in Islandia vel quavis de causa hibernaret.



De Islandicorum iudicio

15 Est in media fere insula locus amoenissimus. Verno tempore paradisum esse diceres. Ubi olim mons fuit excelsus, qui (ut hodie Hecla) intraneo igne arsit. Quae materia posteaquam consumpta fuit, planitiem effecit. Scopuli tamen, qui circum montem fuerant erecti, adhuc stant. Itaque iste locus natura ita munitus est, ut intrantibus singulis sit eundum. Hic locus duobus cataractis insignis est, ubi duo flumina ex altissimis rupibus e diverso sese praecipitant cum stupenda et horrenda aquarum ad scopulos collisione. Hi fluvii in medio campo se coniungunt et magna vortigine in terram absorbuntur.

[15,2] Hic quotannis ad XXIX Iunii diem incolae, qui aliquam habent controversiam, conveniunt. Nullo enim alio in loco ius dicitur aut tempore. Postquam ingressi sunt, stationes ex praefecti satellitibus ponuntur, qui omnes ingredi cupientes admittunt, exeundi facultas sine consensu et auctoritate praefecti nulli datur. Ubi eo ventum est, praefectus regis diploma, quo sui officii fidem facit, publice legendum exhibet et de praecleara regis erga insulanos voluntate deque sua praefatus, ut omnibus sine respectu personarum ius communicent, hortatur. Ipse deinde decedit atque in suo tentorio se continet. Audita sacra contione viri duodecim, quos *lochmaders* (quasi iustitiae viros) dicunt, humi considunt. Singulis in manu liber est eius insulae ius continens populari lingua conscriptus. Accusatione et responsione facta in singulos locos secedunt. Quisque suum librum diligenter evolvit, suum locum deinde repetens sine scriba, sine replicatione aut duplicatione et eiusmodi rabularum forensium praestigiis de sententia communicant eamque pronuntiant. Si quae res deliberatione digna sit, ad Praefectum consultandi et honoris gratia defertur, cum tamen nullam decernendi potestatem illi relinquunt. Accusationes pleraeque sunt de furtis et adulteriis. De finibus non ambigunt. De feudis, hereditariis agris aut pecuniae aliqua summa nullae ibi sunt controversiae.

[15,3] Duodecim illi viri, quibus unus supremus praeest, apud illos in magno sunt honore. Hi de omnibus controversiis publicis constituunt diligenterque inquirunt. Si quod eo anno sit admissum facinus, si caedes alicubi sit facta, si furtum, si adulterium commissum, si pecora furto abducta (quod saepe fieri solet), tunc hi poenam constituunt. Damnati capitis securi feriuntur. Ceteris, quibus poena aliqua irrogari debet, stigmata inurunt. Haec poena apud illos est gravissima. In fronte enim notantur. Ita notati in numero sceleratorum habentur. Alii virgis caeduntur. Et vidi, cum pater et filius propter furtum (abigei enim erant) captivi detinerentur, quod pater sit coactus filium virgis caedere. Ipse deinde securi est percussus.

De Gronlandia

16 Islandia natura est oblonga. Ab ortu habet Norvvegiam, a meridie Orcades et Scotiam, ad occidentem solem Gronlandiam, ad septentrionem mare Hyperboricum sive Concretum. Etsi Gronlandiam silentio decreveram praeterire, tamen cum ipse terram attigerim et pauca quaedam conspexerim, addendum putavi. Erat in Islandia in coenobio quodam Helgafiel relictus monachus quidam caecus (nam praefectus coenobii reditus in usus regios converterat), qui ibi misere vivebat. Hic erat oriundus ex Gronlandia, obscuro colore et amplo vultu. Hunc praefectus ad se perducere iussit, ut de Gronlandiae statu certi aliquid cognosceret. Dicebat esse in Gronlandia coenobium Divi Thomae, in quod a parentibus, cum esset adolescens, se detrusum esse. Postea ab episcopo Gronlandiae exemptum, cum esset XXX annorum, ut una cum illo in Norvvegiam, Nidrosiam usque ad Archiepiscopum, cui et Islandiae episcopi subditi erant, navigaret. In reditu se ab episcopo, cui Gronlandia erat patria, relictum in coenobio. Factum hoc aiebat anno Christi MDXLVI. Hanc insulam dicebat nominari Gronlandiam antiphlasticôs, eo quod raro aut numquam virescat; tantumque ibi esse frigus per totum annum (Iunio, Iulio et Augusto exceptis), ut etiam pellibus amicti tectique calescere vix possint. Habere domi rotunda ligna, quae, cum pedibus continue moverentur, illorum pedes calefacerent. Abundare aiebat, ut Islandia, piscibus. Habere ursos et vulpes candidi coloris, immo pygmaeos et monocerotes, neque diescere, quin sol Pisces percurrisset. Monachus hic valde nobis mirabilia narrabat. In coenobio Divi Thomae, in quo ipse vixerat, esse fontem, qui ardentem et flammeam aquam ebulliat. Hunc fontem per lapideos canales ad singulas monachorum cellas duci

easque calefacere ut hypocausta apud nos faciunt. Immo omnia edulia apud hunc fontem et aquam igneam haud aliter posse coqui, quam si verus esset ignis. Addebat coenobii muros ex pumicibus ex monte quodam non procul a coenobio Heclae simili esse factos. Si enim has aquas ardentis pumicibus superfuderis, limosam materiam sequi, quam loco calcis pro caemento habeant.

[16,2] Post colloquium praefecti cum monacho privatim accedo hominem, plura et particularia quaedam ab illo percunctaturus de pygmaeis et aliis rebus. Latinam linguam tenuiter attigerat, me latine loquentem intelligebat, verum per interpretem respondebat. Pygmaeos dicebat perfectissimam repraesentare formam humanam. Esse pilosos usque ad digitorum ultimos articulos, mares ad genua usque barbatos esse. Etsi vero hominis formam habeant, sensus tamen nihil illis inesse, non sermonem articulatum, sed sibilum quendam anserum more praeferre. Abbatem suum in coenobio duos et marem et feminam aluisse, verum non diu vixisse, brutaque animalia esse inque perpetua caligine vivere. Quod aliqui his cum gruibus esse bellum dicunt, hoc ignorabat. Rationem victus in Gronlandia, quae sit in Islandia, ex piscibus scilicet, esse adfirmabat, verum non ex pecore, quod nulla pecora habeant; neque populosam esse terram. Statim ab Islandia incipit Oceanus Hyperbolicus alluitque Gronlandiam et regionem pygmaeorum, quae hodie Nova Zembla appellatur; habetque ibidem mare glaciale sinum, qui mare Album dicitur, suntque ibidem fauces, per quas navigatur (si liceat absque glacie) in Oceanum Scythicum.

[16,3] Et habebat praefectus regiam navem ex Dania, quae in Islandia hiemaverat omnibus necessariis instructam. Cum vero ab monacho de istis locis, faucibus et brevi in regnum Chynae traiectu audiisset, hanc affectabat laudem, ut regi suo per istas fauces et glaciem ad Chynae regnum per mare Tartaricum, quod ab aliis saepe sed frustra tentatum fuisset, <viam> aperiret. Martii igitur ultimo die anno supra millesimum quingentesimum LXIII ad illa loca eam navem navigare iussit meque una ultro volentem, utque diligenter situm locorum et, quidquid visu et relatu dignum occurreret, annotarem, iniunxit. Eramus in navi homines sexaginta quattuor tam Dani quam Islandici, et XX Aprilis die ad promontorium quoddam Gronlandiae appulimus; cumque nullum portum, cui nos tuto crederemus, invenissemus ac immisso bolide maris profunditatem explorarem, tanta erat, ut in anchoris subsistere non possemus. Tantaque erat copia glaciei, ut propius ad scopulos navigare neque tutum neque possibile esset.

[16,4] Viginti quattuor igitur armati scapha magno cum labore et periculo ad terram contendimus (inter quos et ego eram) exploraturi, an portum invenire possemus et quales haberet Gronlandia homines. Interim magna navis in mari et glacie summa malacia natabat. Pars dimidia ad custodiendam scapham in litore manebat, altera pars (egoque cum illis) speculari causa excurrimus. Qui in litore ad custodiendam scapham erant relictis, exspatiantes virunculum exanimem promissa barba cum navicula et hamo adunco ex piscis osse et fune coriaceo inveniunt. Naviculae alligatae erant vesicae quattuor piscium, uti existimatur, ne submergeretur, quarum tres flaccidae detumuerant. Hanc (quia nostris valde erat dissimilis) regi Daniae misit praefectus. Olaus Magnus libro I scribit esse petram in medio Islandiae et Gronlandiae Hutisock, quam nos praeternavigavimus, ibique habere ex corio naves, quas se vidisse testatur, verum talis non erat. Sed Petrus Bembus libro VII in historia Veneta describit navem, quae huic similis erat, ubi ita scribit: Navis Gallica dum in oceano non longe a Britannia iter faceret, naviculam ex mediis obscissis viminibus arborumque libro solido concretis aedificatam cepit, in qua homines erant septem, mediocri statura, colore subobscurus, lato ac patenti vultu cicatriceque mira ac violacea signato. Hi vestem habebant e piscium corio maculis eam variantibus. Coronam e culmo pictam septem quasi auriculis intextam gerebant. Carne vescebantur cruda sanguinemque, ut nos vinum, bibebant. Eorum sermo intelligi non poterat. Ex iis sex mortem obierunt, unus adolescens in Aulercos, ubi rex erat, vivus est perductus. Ex Gronlandia hanc navem cum his septem hominibus in oceanum Britannicum propulsam esse non est absimile vero, cum descriptio naviculae Bembi cum illa in Gronlandiae litore inventa conveniat.

[16,5] Nos interim huc et illuc in terra nobis incognita, quae nive et glacie tecta erat, oberravimus. Ne hominis quidem vestigia neque habitationem ullam deprehendimus neque aptum portum, sed mare undique praeruptis scopulis erat clausum et communitum. Ursum tamen magnum et album habuimus obviam, qui neque nos timebat neque nostro clamore abigi poterat, verum recta ad nos, tamquam ad certam praedam, contendebat. Cumque propius nos accessisset, bis bombardam traiecit ibi demum erectus posterioribus pedibus tamquam homo stabat, donec tertio traiceretur, atque ita exanimatus concidit. Exuviae regi Daniae missae sunt. Convenerat inter nos, antquam ex navi in terram descenderemus, si commodum inveniremus portum aut alioqui nobis illorum auxilio opus



foret, ut vexillum, quod in hunc usum nobiscum extuleramus, convelleremus. Illi vero, si nos revocarent, tormentis id significarent. Tempestate coorta interim navarchus tormentorum tonitru signum redeundi dat nosque ad navem revocat. Itaque omnes rursus magno cum labore post tres dies ad navem cum ursi exuviis <sumus> reversi.

[16,6] Ad alterum igitur latus insulae ad septentrionem usque ad pygmaeorum regionem aut Novam Zemblam navigavimus, ut per fauces maris Albi in oceanum Scythicum sive Tartaricum veniremus, unde in regnum Chynae et Cathai traiectus esse dicitur, sed glacie prohibiti fauces eiusdem maris transire non potuimus. Itaque re infecta XVI Iunii in Islandiam sumus reversi.

17 Antea dixi Islandicos ad XXIX Iunii diem in media fere insula quotannis ad iudicium convenire. Post vero nostrum reditum praefectus eo contendebat (egoque una cum illo). Ex proximis Heclae accolis aliqui tunc ad iudicium venerant, quos praefectus semel atque iterum ad prandium et cenam invitabat. Hi mira inter cenandum de Hecla monte aliisque referebant. Ego illico accensus cupiditate videndi et adeundi omnia. Quare commendavit me praefectus hisce hominibus, ut me eo deducerent, omniaque quae ibi visu digna nossent, mihi commonstari iussit. Erat hic praefectus Danus homo nobilis, eleganter litteris excultus. Huic viro certe non parum debeo propter summam in me liberalitatem, quod me ad varia insulae loca, ubi singulare aliquid videbatur, suis sumptibus vehi curaverit. Ego comitatus duobus Islandicis et Dano quodam, qui comitatum et tentoriolum equo vehabat, totum quadriduum consumpsi, dum per loca aspera, montosa et avia ad hunc montem contendimus. Ad aliquot miliaria circum Heclam omnia nigro cinere et pumicibus erant repleta. Monebant me Islandici, ne propius accederem, abducto et equo, quem ipsi mihi concesserant. Ego, quia omnia diligenter investigare et videre decreveram, Dano homine comitatus propius quasi montem ascensurus accessi et, quamvis primo aspectu horror nos invaserat, ab instituto tamen discedere nolui et per aetatem periculum non intelligens per cinerem et pumices solus relicto Dano ad Heclam contendebam. Erat tunc mira ibidem tranquillitas, ut nec ignem nec fumum quidem viderem. Ecce subito in terrae visceribus magnus auditur fragor. Hunc secutae sunt flammae caerulei coloris, quae sulphureo suo et taeterrimo foetore me paene extinxerunt, vixque ad relictos comites et equos evasi. Ex subita illa consternatione in morbum incidi et vehementem cogitationem, cum horrendae istae flammae semper mihi ob oculos versarentur; ita quidem, ut Islandici mei comites ad ipsorum habitationem me abducere cogentur, apud quos integros menses duos decubui, cum interim Danus ad praefectum et Hamburgenses rediret deque mea conditione illos certiores faceret.

[17,2] Ego inter barbaros aeger et ignotus misere vivebam. Biscoctum habebant, quem lacte macerabam et ita famem tunc tolerabam interea, dum valentior factus ad praefectum redirem. Hamburgenses propter anni tempus, ne navigandi facultatem amitterent, iam de reditu meo desperantes, solverant (solvunt enim ante XXIII Augusti diem, ne post glacie prohibiti exire nequeant), singulari tamen studio praefecto, si quando redirem, me commendaverant relicto biscocto, vino et cervisia. Habet praefectus satis commodam habitationem pro more et modulo istius regionis ad meridiem eius insulae, non longe a portu Haffnefordt; locus dicitur Bestede. Huc ad praefectum ab Islandicis adhuc aeger perductus sum, qui me propter communia studia libenter et honorifice exceptit.

[17,3] Quamvis vero rebus omnibus et necessariis eramus ampliter instructi, tamen in illis tenebris admodum pertaesus eam vitam magno desiderio futurum annum navesque ex Germania expectabam. Gliscebat tunc bellum inter Ericum Suetiae et Fredericum secundum, Daniae regem, quod magnis animis post ad decennium gestum est. Dano erant confoederati Lubecenses et belli consortes. Sic pleraeque maritimae civitates ad mare Balthicum bello hoc impeditae aut implicatae navigationem in Islandiam hoc anno intermiserunt, itaque mihi frustra expectanti erat manendum. Sequenti anno, cum ad exitum Iunii expectassem, omnis spes redeundi in Germaniam eo anno sublata erat et, quod durius, navis annotina ex Dania non venerat atque menses fere quattuor et panis et vinum nos defecerant.

[17,4] Haerebant tunc in Islandia Lusitani aucupii gratia non admodum magna navi. Hi falcones nobiles et inter hos albos magno numero abducebant. Cum his visum est potius in Lusitaniam traicere quam ad alterum annum aut Danos aut Germanos expectare. Cumque praefecto vectigal darent, egit cum illis meo nomine de sumptibus, ut cum illis navigarem; sumptusque ille liberaliter solvit meque honorifice cum dono non contemnendo dimisit. Erat haud procul a regia domo minister quidam, Ionas nomine. Is me, antequam discederem, familiariter salutabat. Nam per id tempus, quo in Islandia fui, aliqua mihi fuit cum illo familiaritas. Cui etiam libros meos reliqui. Is mihi discedenti amicitiae erga in sudario tres nodos nexit promisitque secundum ventum dicens: Si quando forte in mari venti



contrarii fuerint, aperi hos nodos meique tunc memineris! Cum vero ad XX Septembris diem navigassemus ac iam Hispania nobis in conspectu esset, tanta fuit malacia, ut ne ventum quidem sentiremus, idque toto triduo. In ista malacia incidit mihi promissio amici placuitque experiri. Solvo primum nodum. Mox post horam exortus est ventus mire secundus, sed admodum leviter spirans. Resolvo secundum ac tertium. Statim coepit magis ac magis incrudescere tempestas; ita quidem, ut post biduum in Tago flumine, quod Lissabonam alluit, consisteremus.